

X 187 9552

II m  
252

HENRICI MEIBOMII  
DE  
ILLVSTRIS  
HEIMBURGICÆ  
GENTIS

ORIGINE ET PROGRESSV

Epistola

ad

PERILLUSTREM ET EXCELLENTISSIMUM  
DOMINUM

DN. FRIDERICVM  
ab HEIMBURG

SEREN. BRVNSV. ET LYNEB. DVCIS  
SVPREMVM STATUS CONSILIARIVM  
ET CVRIARVM PRÆSIDEM  
DOMINVM IN COLTERN.

•• (o) ••

HELMESTADI,

Typis GEORG-WOLFGANGI HAMMI Acad. Typogr.  
Anno M DC LXXXIII.



Henrici Althoffii

DE

MILITARIA

MEMORABILIA

GENITIS

ORIGINE ET PROGRESSU

Epistola

ad

FRANCISCVS

DO. MAG. M. M.

DI. F. H. B. A. L. I. C. I. V. M.

EP. H. B. A. L. I. C. I. V. M.

SEE FURTHER INFORMATION

SEE FURTHER INFORMATION

SEE FURTHER INFORMATION

SEE FURTHER INFORMATION

SEE FURTHER INFORMATION





# PERILLUSTRIS DOMINE

**H**enrici IV, Imperatoris Historia tota, & eventuum varietate, & miris rerum circumvolutionibus, hinc Cæsaris infantia & mala educatione, educatorumque vafri artibus, inde Principum conjurationibus, & Pontificis Romani impotente ambitione, omnia sursum deorsumque volventibus, tam est memorabilis, ut proponi in exemplum, & à rerum civilium studiosis accuratè expendi mereatur. Bellum tamen, quod Imperator ille cum Saxoniae Principibus, libertatis suæ tenacissimis, diu gessit, peculiaribus etiam de causis, iis, qui in Saxonia vivunt, diligentius considerandum est, cum non tantum inde, quis Reipublicæ status, quæ Cæsaris auctoritas, quæ Principum conditio fuerit, pateat, sed plurima quoque passim occurrant horum locorum memorabilia, bello quippe in hac

A 2 vicinia

vicina nostra gesto, ibique Arcibus illis & Castellis extructis, quæ vel æternum jugum Saxonibus imponerent, vel diruta & disjecta, in ipsis rudibus suis vindicias libertati datas seræ posteritati ostenderent.

Cum igitur nuper in Historia Germanicorum Cæsarum publicè enarranda ad Henrici IV. tempora me detulisset ordo, pleniori discursu bellum illud Saxonicum illustravi, jucundaque contemplatione in viciniae nostræ antiquitates digressus, simul exposui, quomodo Imperatores Goslariæ sedem suam habere, & inde libertati Saxonum imminere cæperint, extructis per totum illum Hartzicorum montium tractum pluribus validissimis Castellis, quorum vel sola hodie nomina, vel tristia & squallida rudera supersunt. Hic tum memorandæ mihi fuerunt Arces & Castella varia, *Hartzburgum* imprimis, *Wigantenstein*, *Sassenstein*, *Asenberg*, & *Heimenburg* quoque. Monui igitur, ab illo castello *Heimenburg* Illustrem Gentem Vestram, ab Henrici IV. ævo Saxoniam jam cognitam, sui nominis originem arcessere, ibi Majores sedem suam habuisse, & in omni hac vicinia Cæsarum Principumque beneficio multas terras & prædia sibi acquisivisse, donec tandem alibi domicilium figerent. Illa vero occasione, privatis deinde studiis ea evolvi & recolui, quæ de Gente Vestra cum mihi ex antiquis monumentis alias excerpta & seposita, tum ab avo meo, Henrico Meibomio, Historico Guelphico, ante plures annos consignata, *Dn. Aschwino ab Heimbürg* missa fuerunt, ceu ille in Chronico suo Marienthalensi testatur. Non enim nuper demum in clientela *Heimbürgiorum* esse cæperunt Meibomii, sed integrum pene Seculum est, ex quo in Gente Vestra rectorum studio- rum maximi Patroni extiterunt, & nobis quoque eximie faverunt. *Aschwinum ab Heimbürg* (sive Ascanium Romana voce dicere velis) quem, familiariter sibi notum,  
Johan-

Johannes Cafelius noster, litteris incertum an probitate magis æstimandus, *gravem virum, prudentem & integrum, ingenuarum omnium disciplinarum amantem, sed potissimum historiæ, universæ quidem, patriæ tamen cum primis*, appellat, eundem Avus meus *dignitate, genere, & doctrina nobilissimum* vocat, *sibiq; ac studiis suis* (Historicis) *ex animo favisse* scribit, in libello de Irminfula Saxonica, notatque, quod cum summi templi apud Hildesienses esset Canonicus, ibi inter Patriarum Antiquitatum sollicitam curam primi Saxonum Idoli Irminfulæ effigiem, ignoratam aliquot seculis, situque & rubigine squalentem, interpolari innovarique curaverit. Idem Avus meus meminit ibi Cognati Vestri *Theodorici ab Heimburg*, Canonici Cathedralis Ecclesiæ Mindensis & Archidiaconi Remensis, & similiter vocat *genere & virtute nobilissimum virum*. Sed ad *Aschwini* redeo, Patrum Tuum magnum, Perillustris Domine. Ille Patriarum licet Antiquitatum curiosissimus non minus ruspator, quàm peritissimus Judex, familiarumque etiam nobilium indagator, & propriæ non incuriosus, fatetur tamen in Epistola, anno seculi hujus secundo data, se de primis Familiæ suæ conditoribus non nisi patrias quasdam traditiones habere. Quæ igitur Avus meus ex antiquis tabulis, diplomatis & litteris eruta cum Illo communicavit, gratissima habuit, & plucula sibi cognita dein adjecit, ut integram celeberrimæ gentis seriem posterius haberent. Quæ vero ego postea observavi non pauca ex similibus monumentis, ea cum modo dictis collata, & in ordinem digesta, & commentario quasi quodam Historico illustrata publici juris nunc facio, cum, ut exteris quoque pateat, in Saxonia nostra Nobilissimas Familias à pluribus seculis incorruptum decus habuisse, & ad posterius transmisisse: tum, ut meam erga Illustrem Domum *Heimburgicam*, & Te imprimis, Excel-

lentissime Domine, observantiam declararem. Hoc enim in singulari felicitatis meae parte deputo, quod, simulac ego in haec loca, Patrias Avitasque sedes, quasi postliminio nepos redii, & fortunam aliquam sperare caepi, à Te statim, quem maximus virtutum & ingeniorum censor, Serenissimus Dux AUGUSTUS, inter praecipua Principatus sui instrumenta ac decora tum asciverat, studiis meis polliceri patrocinium potuerim. At ex eo tempore, viginti amplius annos, uti fortunam indies majorem non tam invenisti, quam meritis Tuis Tibi fecisti, ita crevit erga optima studia, erga hanc inclytam Academiam, erga me quoque favor, ut quo plus posses, plus etiam velles. Dicendum est Academiae Juliae nomine, quoniam ejus quoque pars aliqua sum, tantum illam debere Tibi, quantum cuiquam primariorum Ministrorum, amatam semper à Te, tanquam nutricem etiam quondam, sublevatam in necessitatibus suis, & nunquam non commendatam Serenissimis Dominis nostris. Est interdum ea publici fati conditio, ut studiorum debita non habeatur ratio, oborto erga ea quodam quasi frigore: saepe etiam non desunt, qui contemnant ea, & in exilium agere cupiant, & quovis modo cum suis cultoribus deprimant: ut tanto magis gratulari possimus nobis, quoties à lateribus Principum sedent, qui studiis, ut coluerunt ipsi, ita justum pretium ponunt, & ne tam utilissima parte Respublica deficiat, prudentia sua cavent, cultorumque commodis prospiciunt. Qualem quidem Te semper, Perillustris Domine, plurimis, certisque tot annorum documentis novimus, & experti sumus, quotiescunque res Academiae ordinandae, ejusque vel salus in universum promovenda, vel docentium desideriis prospiciendum fuit; recentissimâ adhuc eorum, quae ante biennium in salutem nostram acta sunt, memoria, quae apud peritos quos-

quosque & gratos erit sempiterna. In tanta igitur meritorum Tuorum, erga Patriam, erga Academiam, & optima studia, abundantia, per plurimos honoris gradus ad Ministerii Ducalis primum & summum delatus, non ægrè feres, si in Natalium Tuorum dignitatem cliens Tuus inquirat, & omnibus ostendat, præter ea, quæ Principibus, quæque meritis Tuis debes, aliud quoque venerabile te habere, Natales scilicet, à plusquàm sexcentis annis illustres, eâque familiâ ortum, quæ dignitate, virtute, fortitudine, prudentia, pacis bellicque gloria eminuit, nec minus per fæminas illustrissimis aliquando, illustribus & nobilissimis affinitatibus floruit. Simul vero id quoque pateat legentibus, quamvis in tanto numero, tot seculorum decursu, extiterint in Familia Vestra eximia decora & ornamenta, tamen Te eminentissimis quibusque palmam non tam dubiam facere, quàm præcipere, ut, in nobili gente nobilissimus, plus illi splendoris adjecisse, quam ab ea accepisse videaris.

Verum, ut ad historiam ipsam accedam, Castellorum in Hartzicis montibus extructorum ante tempora Henricorum Cæsarum mentionem multam fieri, non invenio. Ex quo autem Henricus III. & Henricus IV. Goslariam diligere, ibique sæpius commorari cæperunt, plura eorum & potiora construi cæpta, verosimile est, quamvis exactam primæ illorum originis memoriam non habeamus. *Lambertus Schafnaburgensis*, Henrico IV. Imp. coævus, & rerum illius temporis diligentissimus & judiciosissimus scriptor, enumerat Castella ab Henrico IV. post mortem Patris extructa, *Hartespurg, Wigantenstein, Moseberg, Sassenstein, Spatenberg, Heimenburg, Asenberg, Vokenroth*. Dubites tamen, an illa tum primum extructa, an verò tantum restituta & amplificata. Solent enim Scriptores isti in determinandis originibus urbium castellorumque

rumque id sæpe confundere, & amplificatores pro ipsis conditoribus agnoscere. Vokenroth jam ante Palatini Comitis fuisse, eique ab Henrico quadam legum violentia ereptum, imposito præsidio, ipse *Lambertus* narrat. Et de *Hartzburgo* non minus dubitare licet. Quamvis enim natales ejusdem in tempora Christi nativitatem antecedentia collocare cum quibusdam nolim, neque ea, quæ de Carolo M. destructore hujus loci, & de astri Crodonis in eo, ut postea non Saturniburgum, sed Hartzburgum vocatum fuerit, idoneis auctoribus probentur: *Tidericus* tamen *Lange in Saxonia sua* à Conrado Cæsare (circa initia scilicet seculi X.) constructum Hartsburg memorat, & ibidem quoque Ecclesiam Christo & Valerio ab eo dictam. Fortassis igitur de reædificatione & munitione tantum sunt intelligenda, quæ de condito Hartzburgo per Henricum IV. memorant modo laudatus *Lambertus Schafnaburgensis* & *Marianus Scotus ad An. 1075*.

De *Heimburgo* nihil ante Henrici IV. tempora innouit, nullâ ejus in Annalibus mentione. Tum vero in bello ejus Saxonico, excidio suo, vel primo loco, inclarescere cæpit. Extruebat Henricus per omnes montes & colliculos in Saxonia Castella, & ipsi primò Saxones omni ope illum adjuvabant; Castellanis tamen deinde hostili more in vicina loca prædas agentibus, & nihil non insolentiæ committentibus, in suam perniciem, libertatisque extirpationem extructa illa esse, sero animadverterunt, suspicantes, nec forte sine causa, Imperatorem id agere, ut, deletis ad interneccionem Saxonibus, Svevorum gentem, sibi carissimam, eorum loco in his terris constitueret. Cum igitur frustra Castellorum demolitionem petiissent, abeunte ex Saxonia Henrico, Principes ejus, fædere cum Thuringis factò, non de persequendo Cæsare, sed destruedis Castellis, solliciti, omnem in id operam suam converterunt.



runt. Quomodo singula destructa, nonnullis vim vi mascule  
opponentibus, pluribus nunc enarrare superfluum fuerit.  
De *Heimburgo* tantum aliquid dicam. Disertè *Lambertus*  
*Schafnaburgensis* scribit, Castellum illud primum omnium  
à Thuringis obsessum, paucos intra dies vi militari armis-  
que oppugnatum & denique succensum esse. *Anony-*  
*mus* tamen *Scriptor Belli Saxonici*, quem *Goldastus* in *Re-*  
*plicat. pro Imperio contra Gretferum* edidit, quemque putat  
esse Rupertum Goslariensem Præpositum, postea Baben-  
bergensem Episcopum, qui rebus gestis interfuit: Is, in-  
quam, aliter rem narrat, tria scilicet millia Saxonum Ca-  
stellum illud *Heimenburg* (quod *Hennenberg* vitio descri-  
ptoris ibi male vocatur) omni vi oppugnasse, sed à Castel-  
lanis propulsa esse, magna clade accepta. Deinde Comi-  
tem Palatinum Saxoniae cum sex millibus obsudione cinxis-  
se castellum, certa spe, fore, ut fame ad deditioem obsessos  
compelleret, sed tandem, corruptis auro Præfectis, arcis de-  
ditionem impetrasse. Quicquid autem de hac variatione sit,  
certum interim est, Castrum illud tum temporis à Saxoni-  
bus fuisse occupatum & destructum. Cum tamen dein-  
de infelici prælio ad fluvium Unstrut Saxones à Rege de-  
victi & fugati essent, moxque, illo in Saxoniam regresso,  
Principes se dedidissent, omnia illa Castella, prius diruta,  
summo nisu, summoque Provincialium labore & ærumna  
restaurari Henricus iussit, & plurima nova insuper, in  
omnibus per Saxoniam montibus & collibus, qui modo  
ad arcendam vim paululum commoditatis habere vide-  
rentur, extruxit, & reliquis quoque, quæ, deditis Princi-  
pibus, in jus suum cesserant, præsidia militaria imposuit.  
Inter hæc igitur *Heimburgum* quoque restauratum fuisse  
ex ruinis suis, valde verosimile est, cum ob situs commo-  
ditatem ad coercendos aut infestandos Halberstadenses  
valde opportunum sit. Evenit tamen, ut iterum Saxoniae  
B Principes,

Principes, occasione per Geronis Comitibus filios duos data, redintegrato contra Henricum bello, armata manu Saxoniam omnem peragrarent, notatque diligentissimus *Lambertus Schafnaburg.* eos, *Castella*, quibus Rex praesidium imposuerat, alia deditioe, alia militari manu, omnia recepisse. Et ita deinde, Henrico à Pontifice Romano excommunicato, Principes in ejiciendis ubique Regiis praesidiis continuarent. Cumque mox praelia felicia à parte Principum intervenirent, probabile est, in manibus Principum *Castella* ea mansisse: certè dirutorum iterum nulla extat in *Annalibus* mentio. Deinde vero Henrico Leoni paruit. Nam in bello inter *Fridericum I. Cæsarem & Henricum Leonem* gesto mentio fit, illudque cum aliis Cæsari traditum ad ann. 1180. refert *Chronicon Bigaugiense*: quod idem refert *Chronicon Montis-Sereni*, in quo iterum male scriptum est *Henneberg* pro *Heimenberg*, inferendumque etiam hujus Castrinomen *Arnoldo Lubecensi lib. 2. cap. 31.* cum in *MSto Coice Ranzoviano* ita haberi annotet *Cl. Bangertus*. Quid ex eo tempore castello huic factum sit, non accuratè satis ab Annalisticis annotatum est: nisi quod superiori seculo, circa Reformationis initia, exorto per tumultantes Rusticos gravissimo bello, caedibusque & rapinis passim & in hac quoque vicinia excitatis, extremam castelli hujus defolationi manum impositam esse,avorum memoria constet. Hodie enim de antiqua *Arce* rudera tantum quaedam ingentium murorum & fortissimarum turrium supersunt in vertice montis seu collis, non inamæni, ab aliis quasi separati. At Familia ab *Heimburg* nomen celebre interim mansit in vetustis illius ævi monumentis: quod ab *Arce* illa accepisse, nullum apud me dubium est, quamvis primus, qui nomen inde retulerit, incertus sit. *Annales* illorum temporum memorant, *Henricum IV.* per montes illos & colles in castellis Amicos suos

suos collocasse, ut Saxones observarent, & Principibus Saxonum captis, abductisque, *beneficia eorum militibus suis, quorum præcipue opera in bello Saxonico usus fuerat, distribuisset*, ut habent verba *Lamberti Schafnaburgensis*. Hinc igitur à Castellis nomina sua non pauci Comites Baronesque acceperunt. Ita *Comites de Hartzburg* passim memorantur, ut *Ludolphus de Hartzburg* sub Friderico I. apud *Arnoldum Lubecensem l. 11. c. 31.* & *Hermannus Comes de Hartzburg* apud Eundem *l. 6. c. 5.* & *Hermannus & Henricus Comites* in Diplomate Ottonis apud *Maderum in Antiq. Brunsv. p. 131.* & in litteris Philippi Regis de ann. 1186. apud *Herm. Hamelmannum in Chronic. Oldenburg. Henricus Comes de Hartzburg* adducitur. Ita ab alio Castello *Asenberg* nomen accepit, qui in litteris Vulradi Episcopi Halberstadensis ann. 1268. testis adducitur, *Burchardus ab Asenberg*. Sic igitur quoque Heimburgii ab arce illa, quam Imperatoris Henrici IV. beneficio tenuerunt, nomen mutuati videntur, quamvis intervenientibus temporum difficultatibus illius possessionem amiserint. Diu tamen illos post Henricum IV. adhuc castrum illud tenuisse certum est. Vixit Friderici II. tempore quidam *Tidericus Lange*, Canonicus Goslariensis & Eimbeccensis, scripsitque præter alia de *Laudibus Saxonie* Poëma, quod penes me MStum est, ex illo autem editum ante triginta annos à Parente meo Joh. Henrico Meibomio. Ille variorum Comitum & Baronum, qui in Saxonia tum fuerint, arcesque & castella tenuerint, facit mentionem, ideoque ex eo versus aliquot integros, rudes licet & incultos, quoniam ad eos deinde etiam provocandum, adducam, cum rerum hujus viciniae peritus fuerit, & idoneus proinde testis.

*Barones, Comites, tenet & Saxonia dices,  
Nobilitas illos ornat, magnosq; pusillos.  
Everstein, Dasle, Hardenberg, addito Plesse,  
Waldenberg, HEIMBORG, Wernigrod, postq; sit  
Humborg*

*Sladen, Barbuje, post hæc Hademersleve, Hoje,  
Wantsleve, Scharfælde, Blanckenborg & Querevor-  
Mansvelt, Valkenstein, Warberge siue Regenstein. (de,  
Lindaw, Scharwenborg, Danneberg, Schermbeke, Wun-  
storp.*

*Hi Principantur, multis castris dominantur,  
Montibus & sita servant sua castra polita.  
Fortes armigeri, corpore belligeri.*

*Hi varias fortes armant quandoq; cohortes.*

At vero, quis primus ille fuerit, & unde advenerit, cui Henricus IV. *Heimburgum* in beneficium contulit, nomine inde ad integram gentem propagato, non certo constat. Antiqua traditio est, in bello illo Saxonico, rogatu Archiepiscopi Bremensis, qui Cæsari favebat, *Annonem* quendam ex Frisia selectas copias (& nominat quidem disertè *Fresones* inter varias gentes in exercitu Cæsaris *Anonymus Auctor de Bello Saxonico*. à Goldasto editus p. 34.) Cæsari adduxisse auxiliares, & hunc esse primum in his regionibus gentis illius auctorem, quæ deinde à castro Heimburgo nomen naçta est. Hinc illa de ortu *Heimburgiorum Frisico* vetus persuasio. Vidit avus meus Henricus Meibomius apud D. Bacheim Canonicum S. Cyriaci Brunsvigæ Chronicon MStum Martini Poloni in membrana, cujus fini cum alia, tum hæc verba adscripta: *Illi qui Honstein & de Henneberg dicuntur, sunt Itali, Columnenses videlicet. De Lippia sunt Ursini, sicut & de Aneholt. Schomborg, Hoje & Heimborg venerunt ex Frisia. Qui quidem, quisquis fuerit, uti in prioribus secutus videtur*

ocio-

ociosos illos & inepte curiosos, qui nobilium Familia-  
rum Germanicarum origines ultra Alpes quæerunt, (ceu in  
Anhaltinis quoque facit *Ernestus Brotuffius* & in Lippien-  
sibus *Bernhardus Willius in Chron. Lippiensi MSto,*) & me-  
rito explodendus: ita de Scomborgensibus & Hojensibus  
non male sensit, cum originem eorum Frisicam esse no-  
tius sit, deque prioribus id jam tum observatum ab *Her-  
manno de Leerbeck in Chron. Schaumburg.* de posterioribus  
vero ab *Hilberto Schone & Gerharo Reinsbeck in Chro-  
nico Bremensi MSto.* Ut ita fortassis alterum quoque illud  
de *Heimburgiorum* origine Frisica verosimile esse videatur.  
Fateor tamen, mihi semper illa suspecta visa esse & dubia,  
cum nullo testimonio probatum sit, Annonem illum ex  
Frisia venisse. Neque etiam argumentum illud, quod à  
nomine *Annonis*, Genti *Heimburgicæ* dein admodum fa-  
miliari, petitur, quasi idem sit cum nomine proprio, Fri-  
siis usitatissimo, *Enno*, magni apud me momenti est. Cur  
enim *Annonis* nomen, mutata etiam littera, ex Frisia pe-  
timus, quod in tota Germania & Saxonia, cum aliàs, tum  
illo ipso tempore, usitatum? Vel solus ille famosus Colo-  
niensis Archiepiscopus Anno tempore Henrici IV. id do-  
cuerit, ne de Wormatiensibus, Basileensibus, aliisque Epi-  
scopis dicam. Scribitur autem modo cum, modo sine aspi-  
ratione, ut alias *Hugo, Ugo, Haimo, Aimo*, & hinc Colo-  
niensis Archiepiscopus à *Lamb. Schafnaburg.* ad an. 1056.  
*Anno*, ab *Hermanno Contracto* vero *Hanno* vocatur, quam  
in rem commentatur quoque *Martinus Opitius notis in  
Rythmum de S. Annone Colon. Archiep. p. 4.* Suspiciatus  
aliquando sum, originem *Heimburgicæ* Gentis Svevicam  
esse. Jam tum enim memoravi, & ex Historicis notum  
est, Henricum IV. Svevos suos in Saxoniam duxisse, iisque  
arces & castella, ringentibus Saxonibus, credidisse & be-  
neficia illorum ipsis contulisse. Fortassis igitur ex Svevia



cum Cæsare venerint quoque primi conditores, sive deinde nomen hic mutaverint, sive etiam attulerint & hic retinuerint. Nam esse in Svevia castrum *Heimburg* & nobilem *Heimburgiorum* familiam (ex qua forte etiam *Gregorius Heimburgius*, Consiliarius Moguntinus, Pii II. Pontificis nobilis adversarius, quem ipse Papa scientia juris & facundia inter Germanos facile Principem appellat) eamque hodieque ibi florere certum. Non improbabile proinde est, ad exemplum Svevicæ illius arcis Castello quoque Hartzico apud nos nomen id datum esse, non inusitato alias more, ut peregrina nomina nostris locis conferrent Cæsares, jam à Caroli M. ævo, qui Heristallo Saxonico ab Heristallo Gallico, ejusque filius Ludovicus Pius Corbejæ nostræ à Corbeja Gallica nomen dederunt. Jam tum tamen, qui castellum *Heimburgum* apud nos à Cæsare accepit, *Heimburgium* dictum, & ex Svevis illis nobilibus oriundum fuisse, non ausim certo asserere, cum præsertim *Heimburgiorum* in superiori Germania Insignia cum Nostratum non conveniant. Sed lubet illi conjecturæ meæ aliam adjungere, non meam tamen, sed Cl. Viri *Job. Henrici Hofmanni*, immaturè nuper defuncti, qui magnam Historiæ Saxonicæ peritiam sibi acquisiverat, cum Serenissimis Brunsv. & Luneb. Ducibus, Cellis primum, dein Hannoveræ ab Archivis esset. Devenerat is in illam sententiam, eandem esse Familiæ *Heimburgicæ* & *Hoimianæ* originem, à Ruedgero quodam Herfeldensi, ab Haimone Episcopo Halberstadenfi in has terras deducto, & quidem ex quadam annotatione *Rocchi, Monachi Ilfenburgensis, de vita Haymonis Episcopi Halberstadenfis*. Fragmentum ipsum, uti illud ex libro grandi membraneo Ecclesiæ Hildesheimensis descripsit, & mecum communicavit, ita se habet: *Beatus Vir* (Haymo scilicet Episcopus) *ut operibus sanctis intentius invigilare posset, omne seculi negotium à se removit, abjiciens.*

ciens illud in propinquum suum Ruodger, quem de Herosfeldensi Abbacia secum in Parochiam Albrestat adduxerat. Hic commissum sibi opus industriose implevit, & propterea domus sua sicut domus Obed, benedicta est à Domino, & valde dilatans generationem suam filios filiorum ipse vidit, de quorum sanguine adhuc in nostris diebus non paucos in Castro Haimenborg gaudemus florescere. Testantur autem Chronica Halberstadensia, Winnigstadii, Torquati, aliorumque, Virum illum ab Haymone Episcopo ex Abbacia Hersfeldensi allatum, & constitutum Majorem Domus Episcopalis (quæ dignitas dein perpetua facta est, & nostra demum memoria exspiravit) condidisse locum quendam, Haim dictum, liberosque numerosa serie ab ipso descendentes ab Haim dictos, familiâ hodieque florente. Inde igitur concludebat Hofmannus, cum non constet, Hoimios unquam tenuisse Heimburgum, Rocchus autem illud de Ruodgeri posteris attestetur, utrosque Heimburgios & Hoimios ab illo Ruodgero Hersfeldensi, Haymonis propinquo, descendere, quorum priores Heimburgum castrum, posteriores locum Haim tenuerint. Et hoc probabilius sibi videri asserebat, quod tesserae gentilitiæ Heimburgiorum & Hoimiorum ferè coinciderent, Trabibus tam in his, quam in illis extantibus, galea tantum non nihil differente, qualis discrepantia à veterum in talibus libertate dependeat. Verum hæc, utut ingeniosa, non tamen etiam sese approbare mihi possunt. Nam, utut Hoimii, ex hoc Rocchi fragmento, nomen primi Auctoris familiæ suæ discere possint, cum Annales Halberstadenses quidem rem ipsam narrent, nomen tamen Rudgeri ignorent, & non errasse Rocchum, ex eo fiat verosimile, quod Ruodgeri nomen frequentissimum sit apud Hoimios, & quasi gentilitium: tamen, quomodo Heimburgii inde deduci possint, non video. Non constat enim de Roccho illo, quando vixerit, & videtur mihi valde probabile,

bile, longè aliud ab illo indicari *Haimenburg*, quam castellum illud *Hartzicum*, quod tum nondum fortassis erat constructum, sed in pago *Haimburgum* aliquod seu castrum, à Ruodgero in Cognati sui Haimonis Episcopi memoriam constructum, quod ad amnem Soleke non procul à fontibus salis fuisse, notant *Annales Halberstadenfes*. Illud igitur *Haimenburgum* tenuerunt Haymonis Episcopi posterii, *Hoimii* dicti, non alterum *Hartzicum*. Et vero, uti in *Hoimiorum* familia frequens est *Ruodgeri* nomen, ita, me conscio, nunquam id inter *Heimburgios* occurrit: nec de duarum harum familiarum ex uno fonte defluxu ulla extat patria traditio, quæ deesse in re tam memorabili non temere solet.

Interim, quocumque antehac nomine fuerit, invenit deinde Anno modo dictus novum à castello *Heimburg*, illudque ad posteros propagavit. Fuit autem Cæsari Henrico ob merita & fidem gratissimus, inque castris ejus fortissimus miles, illique, inter tantas in imperio turbas, & contra caput ipsum conjurationes, fidelis, vitamque produxit ad annum usque 1106, Imperatori ipsi fatalem. Ita tamen hîc deficiunt *Annales*, ut nec de rebus gestis, nec de conjugio liberisque ejus quicquam afferre possim. In bello Saxonico sub Henrico V. memoratur etiam *Anno ab Heimborg*. quem eundem esse ratio temporum vix admittit: fortassis igitur prioris filius fuerit, Cæsari & ipse multorum meritorum & fidei nomine imprimis carus. Exortæ tum iterum erant inter Henricum V. & Saxoniae Principes contentiones gravissimæ, hi que libertatis avidi, ut sub Patre ejus Henrico IV. cæperant, inter se conspiraverant, a vitam libertatem & sua armis defensuri. Cæsar vero omnes illos conjurationis participes dignitate privavit, aliosque in eorum locum substituit, & feuda, quæ ab imperio habebat, ademit. Ex his erat *Fridericus*, Comes Palati-



Palatinus Sommerseburgius, Senior dictus, qui primus dignitatem Palatinam, Friderico ex Palatinis Saxoniae, Wettinensis familiae, oriundo ereptam sibi vindicavit. Quem acriter persecutus Cæsar, graviq̄ue custodia detentum, non nisi intercedentibus plurimis Principibus, & solutis quingentis marcis argenti, liberum dimisit, plurima vero feuda, quæ ab Imperio habebat, eidem ademit, & non pauca, imprimis quæ circa Schönningam, *Annoni Heimburgio* contulit, cujus etiam posterius per duo amplius secula illa tenuerunt. Annotatur autem, hunc Fridericum Comitem A. 1118. *Annonem ab Heimborg* ad duellum provocasse: nec ille recusavit, intervenientibus tamen Reinhardo Episcopo Halberstadensi, & Præposito ejus Guncelino, res composita est. Uxorem habuit nobilem *de Bivende*, Helmoldi filiam. An vero ex ea, & quos genuerit liberos, certo affirmare non possum. Cum tamen in litteris An. 1146. memorentur *Anno, Sigefridus & Henricus ab Heimborg*, fratres, hos Annonis modo dicti filios fuisse, non caret verisimilitudine. Ex quibus *Henricus*, religiosorum ordini S. Benedicti transcriptus, in Cænobio S. Johannis Baptistæ ante Magdeburgum habitum sacrum induit. Et hos fratres sororem habuisse *Heilwigin* constat, quæ nupsit *Wernero*, qui tamen quis fuerit, non additur. *Sigfridus* filium reliquit, etiam *Sigfridum* dictum, cujus utriusque, & patris & filii, mentio fit in litteris An. 1159. Uxores tamen eorum ignorantur.

Et hætenus quidem, quæ adduxi, ex densissimis Antiquitatis tenebris eruta, lucem in plusculis adhuc desiderant, nemine istoc ævo ferè extante, qui Illustrium Virorum memoriam conservaret, aut genus annotaret, nisi forte in Monasteriis curiosiores nonnulli id agerent, quorum tamen diligentia intra eos potissimum, qui suo ordini adscripti, suiq̄ue cætus pars facti, aut qui liberalitate sua cæno-

bia ditassent, terminabatur. Deinde tamen à *Sigfrido*, quem modo dixi, ad nostra usque tempora, certior, & continua, & exacta series totius illustris familiæ haberi potest. Præterquam enim, quod plura Diplomata, Litteræ, & Donationum tabulæ, ab his temporibus ad nos pervenerint integra, in quibus aut *Heimburgiis* feuda conferuntur, aut illi aliis ea conferunt, donantque sua bona & vendunt, aut more ævi, tanquam testes, in Tabulis solennibus adducuntur; Annales quoque & Chronicorum Conditores pluscula de illis annotant. Ex quibus non sine cura hæc compilata primum, dein digesta sunt.

Et *Sigfridus* quidem ille *Junior* in Henrici Leonis, Ducis Saxoniae & Bavariæ, aula vixit, fitque ejus mentio in litteris An. 1176, ubi cum Eberhardo de Lapideo Monte (*Steinberg*) & Ecberto de Walmoden testis adducitur. Filios habuit *Henricum* & *Annonem*, ut patet ex aliis literis, datis A. 1199, ubi cum Patre *Sigfrido* testes adducuntur filii, *Henricus* & *Anno*, vocanturque milites. Videtur autem *Sigfridus* ad notabilem senii gradum pervenisse, cum per integros quadraginta annos passim in litteris memoretur: tempus tamen mortis ejus ad supradictum Annum 1199. & seculi duodecimi finem pertinere crediderim, nam paullo post in aliis litteris vocatur *piæ memoriæ Sigfridus*. Hi deinde duo fratres, *Henricus* & *Anno*, uxoribus ductis familiam propagarunt, liberis utriusque sexus susceptis, non pari tamen diuturnitate, nam in *Henrici* posteris ea mox extincta est. Ambo fratres adducuntur simul in litteris 1222, ubi, quæ ab Imperio habuerant, Molendinum Wechsungen, & partem agri Himmelreichsrodensis Monasterio Walckenredensi vendiderunt, quod notat *Henric. Ecstormius in Chronic. Walckenredensi. p. 86. Henricus* in patria sua sede *Heimborg* vixit, & in litteris An. 1215. quibus Otto, primus Dux Brunsvicensis, proprietatem suam in  
Santer-

Santersleben Templo Hierosolymitano confert, inter Ministeriales Ducis, tanquam testis, adducitur, & in Ejusdem Ottonis litteris, datis Ecclesiæ S. Blasii in Brunsvic. A. 1227. itidem inter testes nominatur. Uxorem habuit *Juttam de Gatersleben*, cujus fratres nominantur *Ludgerus & Bertramus de Gatersleve*, Equites, ex eâque genuit quinque liberos, tres filios, *Nicolaum, Lippoldum, Johannem*, duasque filias, *Cunigundem & Adelheidin*: & quidem *Nicolai* mentio fit in litteris Volradi Episcopi Halberstadensis An. 1257, ubi inter Nobiles Laicos testis adducitur. *Lippoldus* cum fratre suo *Johanne* memoratur in litteris Ducis Ottonis, Pueri dicti, A. 1236. quod scilicet *bona sua in Osleven & Beierstet resignaverit in manus Ottonis Ducis, & acceperint bona in Bersle*. Omnes vero hi memorati, *Henricus* cum uxore sua *Jutta*, & filiis suis, *Nicolao, & Lippoldo*, & filiabus *Cunigunde, & Adelheide*, adducuntur in litteris an. 1230, ubi consensum suum dant, ut Cænobium Riddageshusanum emere possit agros quosdam in Hadeber. Simon, Abbas Michelsteinensis, pararius fuit, & etiam sigillum suum litteris apposuit, quæ ita clauduntur. *Ad hæc sunt in domo nostra Heimborg, presentibus honestis viris, Dn. Annone de Heimborg, Johanne, filio ipsius, & Henrico, filio Lippoldi*. Ubi tamen, quis ille *Henricus, filius Lippoldi*, sit, fateor me nescire, nisi ante dicti *Lippoldi*, qui filius *Henrici*, filius, & valde tunc adhuc juvenis fuerit, cujus tamen nulla alibi mentio. Vocatur vero ille *Lippoldus* Dapifer, uxoremque habuit de nobili familia de Balnehusen, cujus frater memoratur Echardus. *Lippoldus* quoque ab Heimborg, qui Monasterio Hujesburgensi dimidiam aream in villa Borsum, & quartam partem mansi cum omni utilitate vendidit, cujus itidem litteræ extant datæ Northusæ Kal. Mart. 1298, & aliæ A. 1306. datæ, apud *Ecstorumium Chron. Walkenred. p. 110*, & aliæ A. 1313. cum Quedlinbur-

linburgi esset, videtur esse hujus *Lippoldi Dapiferi* filius. Cum eo autem omnis memoria posterorum *Henrici* desinit: nam nec filiae *Cunegunda* & *Adelbeidis*, an, & quibus nupserint, constat.

Ad *Annonem* igitur pergo, *Sigfridi Junioris* alterum filium, qui ad nostra usque tempora illustrem familiam propagavit. Magnum ille sibi virtute bellica paravit nomen apud plures Principes, Duces imprimis Brunsvicenses & Lynæburgenses. Mentio ejus fit in litteris Ducis Ottonis, Pueri dicti, datis in Brunsvic. A. 1232. Indiēt. v. in alio item privilegio illius Ducis Ottonis, dato an. 1247. Burgenfibus in Duderstad, constituitur fidejussor una cum aliis. Et illius quidem Ducis Ottonis Dapifer fuit A. 1249, mansitque post mortem ipsius apud filium & successorem, Ducem Albertum. Habuit etiam aliquando Advocatiam Salinarum Schöningsium, quam tamen A. 1256. dimisit. Uxoris ejus nomen ignoratur quidem, ex nobili tamen familia de Meinersheim (de qua multa habet Avus meus in *Chronico Riddageshus. p. 51.*) eam fuisse, Ludhardi sororem, constat. Et ex hac suscepit tres filios, *Henricum*, *Annonem* & *Heinonem*. De *Henrico* pluribus agam, quoniam virtutem, fortitudinem, & prudentiam suam in propaganda & defendenda Christiana religione occupatam habuit, quo militiae genere, si caetera rectè se habeant, nullum apud Christianos majoris fieri par est, nullum acceptius Deo esse credimus. Hoc scilicet tempore, non in Oriente tantum pii fortesque Viri, institutis certis Militiae Sacrae Ordinibus, loca sancta recuperare nitebantur, sed in occidente quoque contra paganos & Idololatrias, qua voce qua ferro pugnabatur. Cum igitur Milites ordinis Teutonici, seu Hospitalis S. Mariae Domus Teutonicorum Hierosolymitani, ex tota Syria cum reliquis Christianis expulsi, feliciter in Prussiam venissent, ibique à Conrado Masoviae Duce

Duce in Terram Culmensē vocati essent, per Ordinis sui  
Duces, quos Magistros nominabant, summa cum laude &  
gloria contra paganos militarunt, non terra Culmensi tan-  
tum, sed tota pene Prussia subjugata. Isto vero exemplo  
in vicinam Livoniam quoque, factō primum per Merca-  
tores Lubecenses, in Dunæ fluvii ostium illapsos, Religio-  
nis Christianæ initio, Episcopisque admissis, per illos Mili-  
tes advocati, contra infideles se devoverunt, *professionis suæ  
signum in forma gladii, quo pro Deo certabant, in suis vestibus  
preferentes* (verba *Arnoldi Lubecensis Chron. Slavor. l. 3.  
c. 9.*) dicti inde Gladiferi, item Gladio-cruciati, constituto  
pariter ordinis Magistro, quorum primus *Vinno*, alter *Vol-  
quinus* fuit. Excitati vero horum Ordinum fama & mi-  
litiæ peculiaris gloria & sanctimonia, Imperatores & Pon-  
tifices amplissimis privilegiis illos ornarunt; Principes ve-  
ro, Illustres, Nobilesque viri, vel adductis Ordini in auxi-  
lium copiis aliquamdiu cum Sacris illis militibus milita-  
runt, vel ipsi etiam in Ordinis illius membra cooptari se  
fecerunt, perpetuo militiæ talis voto. Et ordini quidem  
Teutonicorum Militum in Prussia, cum alii Principes, ut  
Henricus Marchio Misnensis, ejusque filius Theodoricus  
auxilia multorum militum secum adduxerunt, tum, ex Se-  
renissima quoque Ducum Nostrorum Domo, *Albertus  
Magnus* An. 1265. ad eos militatum ivit, cujus *Petrus de  
Dusburg*, Ordinis Theutonici sacerdos, in *Chronico Prusiæ*  
ante 350 amplius annos scripto, c. 25. & c. 26. magna cum  
laude Ducis meminit, *Deo devotum Principem* vocans,  
& *cum multitudine copiosa peregrinorum in subsidium fratri-  
bus in gravissimo necessitatis articulo constitutis venisse, castra-  
que cepisse, & per spatium unius anni multa bella gessisse,  
& toties vexasse Pruthenos, ut non potuerint respirare.* Et  
ad hujus patris sui exemplum filius Albertus, Pinguis  
dictus, cum Principibus aliquot, Alberto Landgrafio Thu-  
ringiæ,

ringiæ, & Ottone Marchione de Brandenburg & Dynastis multis in Borussia contra paganos cum signo crucis profectus est, ut notat *Monachus S. Ægidii in Compilat. Chronol. ad an. 1265.* quamvis propter hyemem lenem eo tempore nihil eum profecisse, notetur in *Additam ad Lambert. Schafnaburg. ad annum dictum.* Hujus vero Alberti Pinguis filius, *Luderus*, cum itidem ordini Sacro in Prussia militasset, Magister dein Generalis Ordinis factus est, memineruntque illius multa cum laude *Chronica Prusiacæ, & Dusburgus* quoque, extructamque ab ipso Cathedrali Ecclesiam in urbe Regiomontana memorant, in qua etiam in muro Chori sepulcrum invenit, ut notat *Caspar Henneberg in Explieat. majoris mappæ Prusiacæ. p. 209.* Similiter in Livoniam, precibus Alberti Archiepiscopi Rigensis, & Magistri ordinis Volquini, ierunt militatum cum multis copiis Albertus Dux Saxonie, Comes Orlemundanus, Arnstetensis, alique, de quorum rebus gestis pluribus differit in principio *Chronici sui Livonici Balthasar Russow.* Ad hos etiam sacros Milites Livonicos, ut jam ad nostram historiam redeam, iuit *Henricus ab Heimborg*, virtutis & fortitudinis suæ in illa optima palæstra illustre editurus specimen. Quanta & qualia fuerint, quæ gessit, incuriosi quidem Annalistæ ignorare nos patiuntur, magna tamen fuisse, bonumque de eo Ordinis totius iudicium, & magnam expectationem, inde colligere licet, quod in Magistrum Teutonici Ordinis in Livonia A. 1245, fuerit electus. Teutonici, inquam, Ordinis in Livonia. Cum enim Milites Gladiferi incursionibus Barbarorum sustinendis pares non essent, nec tutari etiam sua contra Danos, Revaliam possidentes, possent, in consortium ordinis Teutonici in Prussia recipi petierunt, id quod etiam non diu post, cum Volquinus Ordinis Magister periisset, impetrarunt, facta Ordinum conjunctione, certis tamen pactis initis, quibus Li-  
vonicus

nicus Magister alteri illi Pruffico aliquo modo subiectus est, accepto etiam, Pontificis juffu, Ordinis Domus Teutonicae habitu regulari, Episcopis contra Pruffiae Rigenfem pro Metropolitano acceptantibus. Hinc igitur Hermanus de Salza Magister Generalis, feu summus, Ordinis Teutonici mifit Hermannum Balke, (ita enim appellat *Dusburgus*, quem alii Falcke) Magistrum haftenus Provinciam Pruffiae, in Livoniam, fed ille, cum per sexennium Ordini praefuiffet, in Germaniam abiit. Tum summus Magister Ordinis in Pruffia, *Henricum ab Heimborg*, Magistrum Ordinis in Livonia, A. 1245. constituit. Erant tum difficillima tempora, requirebatque Ordo talem Principem, qui non animo tantum valeret & prudentia, fed iis quoque corporis viribus, quae expediendis gravis & continui belli negotiis pares effent. At vero in *Heimborgio* hoc nostro corpus erat imbecillum, & caufarium, fractum sine dubio longis duro sub Martelaboribus, ideoque, cum gravi illi muneri per biennium praefuiffet, nec laudari a folis confiliis cuperet, Ordinisque fortunae detrimentum aliquod metueret, feffe honore & auctoritate, quam dilectum fibi Ordinem commodis fuis privare pie prudenterque voluit, utque alium, affectu quidem & animo erga Ordinem, fibi parem, viribus vero corporis valentio rem fufficerent, obtestatus est, & impetravit, quod in *Chronico suo Livonico Balthasar Ruffovius p. 8.* notat, qui tamen non addit, an patriam repetierit, an ibi mortuus fit, ideoque & ego id, deficiente alibi quoque memotia, ignorare cogor. Numeratur *Henricus* inter Magistros Ordinis, a nonnullis II, ab aliis IV. Secundus, quia a Balkone, qui post unionem cum Pruffiaco Ordine primus, alter est. Quartus, quoniam a primis Ordinis in Livonia initiis, post Vinnonem, Volquinum, Balkonem, quartus illi praefuit. Id certum, magnam tum fuisse dignitatem horum  
Magistro-

Magistrorum, quam accipere illustri loco nati non recusarent: uti etiam tandem Magister Ordinis Livonici, postquam se à Prussico, numerata pecunia, redemisset, inter Principes Imperii locum habere cæpit.

Sed jam ad fratres *Henrici*, *Annonem* & *Heinonem* reverti cogor. *Anno*, Halberstadii in summo templo Canonicus fuit, & in litteris Volradi Episcopi, qui diu Ecclesiæ illi præfuit, sæpius adducitur Ann. 1257. 1258. 1266. 1293. ut ad longam senectutem ipse etiam pervenisse videri possit. *Haino*, tertius fratrum, qui in litteris Ottonis Ducis An. 1249. adducitur, solus familiam propagavit, omnium hodie viventium magnus parens: uxor tamen, quæ fuerit, & de qua familia, ignoratur: filii memorantur duo, *Anno* & *Henricus*, & una filia *Bia*. *Henricus* uxorem duxit, quamvis quæ illa fuerit, nesciam. In Cænobio S. Laurentii prope Schönningam Memoria, ut loquuntur, fuit ordinata pro *Henrico de Heimborg* & uxore, qui hic esse creditur, ibique sepultus: nam & bona circa Schönningam eum in divisione accepisse, certum est, cum frater *Anno* castellum *Heimburg* retineret, & alia bona. Vixit adhuc A. 1270., ut ex Tabulis patet, filiosque duos habuit *Annonem* & *Henricum*, in quibus tamen, sine liberis mortuis, linea illa desiit. Non possum hoc loco præterire, quod notat, solus licet, *Anonymus Auctor Chronici Ducum Brunsv.* editus à *Madero in Antiquitat. Brunsv.* Verba ejus ita habent ad A. 1288. *In die Bonifacii Martyris Hinricus & Anneko de Henborch, Hildemarus Advocatus Irkesleve, de Salderen miles, cum XII. sociis in Hilmenstidde à communi vulgo miserabiliter occiduntur.* Vidi sæpius ipsum Codicem Manuscriptum hujus Chronici (erat enim penes celeberrimum *Conringium* nostrum,) & non aliter quidem, quàm *Henborch* scriptum vidi, legendum tamen esse *Heimborch*, & loqui Autorem de *Annone* & *Henrico*, *Henrici* filiis,



filiis, qui hoc tempore vixerunt, & de quibus nobis nunc sermo, nullum dubium est, cum tempus & nomina coincident, nulli vero alii nobiles *de Henborg* ullibi memorentur. Tumultus vero ille in hac urbe nostra Helmestadio, Annalibus quoque non incognitus, ortus est occasione litis inter fratres, Henricum Mirabilem ab una, & Albertum, Wilhelmumque ab altera parte, qui ultimi obsidione cinxerant urbem, à partibus scilicet Henrici stantem. Et jam factæ erant induciæ, Legati que Ducum, Alberti & Wilhelmi urbem intraverant, quos, portis occlusis, cives impetu factu trucidarunt, cum multis aliis nobilibus, & ipso etiam Abbate Werthinensi, Ottone Warbergio, si non fallit nos Catalogus Abbatum Werthinensium. Unde passim male audierunt Helmstadienses, & ab Imperatore proscripti sunt, ipso Henrico Mirabili, cujus partes sequebantur, factum insolens & nullo colore excusandum, improbante. Incidit tumultus in An. 1288. De *Henrico* igitur ab *Heimborg* vera esse crediderim, quæ narrat *Chronici Auctor* quamvis solus, cum mortuus hoc tempore videatur, quippe quem anno sequenti inter defunctos referri deprehendi. *Anno enim ab Heimborg*. miles dictus, dum confirmat venditionem bonorum in Wobeke, citat *Henricum* fratrem & *Annonem* patrum, sed tanquam defunctos. Litteræ datæ sunt in Cœnobio Winhusen A. 1289. At *Annonem ab Heimborg*, *Henrici* fratrem, periisse in tumultu illo Helmestadiensi, quamvis forte illi interfuerit, falsum est, cum diu post adhuc memoretur. Uxorem habuit *Cunigundam Warbergicam*, Ludolphi & Hermanni, Canonici primum, dein Præpositi Hildesheimensis, sororem. Producam in hujus rei fidem ex ipsius *Ludolphi de Werberg* litteris, Monasterio Mariæmontano ante Helmestadium datis, verba huc facientia: *Nos, Ludolphus D. G. nobilis dictus de Werberg, omnibus hoc inspecturis scriptum salutem in Domino*

D

*Sempiter-*

*sempiternam. Qua geruntur &c. quod nos Ludolphus nobilis de Werberge, ex consensu fratris nostri Dn. Hermanni, Majoris Ecclesie in Hildesheim Canonici, & sororis nostrae Cunigundis, uxoris honorabilis viri, Dn. Annonis de Heimborg, generi (id est, sororii seu affinis, more loquendi tum usitato) nostri, vendidimus Ecclesie Montis S. Mariae &c. presentem paginam sigillo, nostro scilicet, & fratris Dn. Hermanni, & quia soror nostra Cunigundis ipsa sigillo caret, honorabilis viri sui Dn. Annonis de Heimborg, generi nostri, sigillo sigillari fecimus &c. Acta sunt hæc Anno Domini 1303. in Castro Werberge. Hi duo Conjuges vixerunt adhuc An. 1306, citati in Litteris Marchionis Brandenburgici Hermanni, illo anno datis. In litteris quoque, eodem anno datis, Henrici & Baldwini de Wenden citatur Anno. imò, vixisse eum sequenti adhuc anno docent superstites tabulæ Alberti, Ducis Brunsvicensis, dicti Pinguis, qui in Castro Wulfenbutle anno memorato XII. Kal. Junii Domino Annoni, Militi de Heimborg, ejusq; veris hæredibus donat omnem proprietatem, tam in villa Höcherstorp, quàm in agris &c. scribitq; hoc se facere intuitu multorum obsequiorum sibi fideliter ab illo præstitorum, ut forte in servitio Ducis illius eum fuisse, hinc colligere sit. Ex quibus omnibus patet, falsam esse Chronici illius relationem de cæde Annonis ab Heimborg; fortassis autem Autor Anonymus, qui in hac vicinia vixit, primum rumorem de cæde utriusque Heimburgii ad aures allapsus secutus est, annotavitque statim ea, quæ dein falsa deprehensa sunt, ceu nihil insolitum est, in præliis & tumultibus occisos memorari, qui tantum vulnerati, diu dein adhuc superstites. Interim hunc Annonem ab Heimborg etiam sine liberis mortuum esse constat, solo ex illa familia Annone, Hainonis filio, qui Heimburgum tenebat, cum posteris suis superstite. Ille tamen etiam, ut mox narrabo, Patriæ suæ Arcis possessione ex-*

ne ex-

ne excidit, alibique sedes quaesivit: Et deinde per tristitia totius Germaniae, & turbulenta quoque Saxoniae nostrae tempora, variasque rerum vicissitudines, Illustris familia ad angustias redacta est, animi tamen magnitudinem fortunae iniquitati opposuit, & in ipsis adversis major, operam semper dedit, ne quicquam antiquo splendori decederet.

Monendum enim hic est, antequam ad posteriora illa tempora decurram, propter nonnullos Antiquitatis incuriosiores (cum alias ex omnibus iis, quae haecenus adduxi, veteris aevi morum perito id jam tum sit manifestum) *Heimburgios* statim à prima in hac Saxonia origine sua, non in infima, sed primaria nobilitate locum suum habuisse, quales quidem hodie Baronum & Nobilium Dominorum nomine veniunt. Inter illos enim collocari observes, quando pro testibus in solennibus Tabulis adducuntur; inter *Nobiles*, inquam, alio à *Militibus*, *Ministerialibus*, *Famulisque* loco, vocarique *Dominos de Heimborg*, peculiari honoris titulo. Debere enim haec ex more veteris aevi, non nostro, dijudicari, quivis prudens facile intelligit. Qui hodie *Nobiles* vocantur, *Equites* alias, (die von der Ritterschafft) tum temporis non *Nobiles*, (*Edle*) sed *Erbare* vocabantur. *Nobilis* vero titulus dabatur Comitibus, alisque ex primaria nobilitate. Illustrabo haec verbis *Alberti Crantzii*, qui superioris seculi initio vixit, sed historiae mediæ aevi, Saxonicae imprimis, peritissimus fuit: *Qui olim, inquit l. 3. Metropol c. 11. Ministeriales dicti sunt, aut Feudatarii, nunc ambiunt dici Nobiles. Sed coarguit illorum superbiam usus Principalium scribarum, & omnium rectè discernentium munera graduum singulorum. Primi enim Barones inter Nobiles deputantur, inde Liberi Domini, postea Comites, inde Duces, quos appellat Papa Nobiles Viros.* Adducit vero lib. 8. c. 46. etiam originem

ejus moris: *Sed ea appellatio ab assentatoribus ex superiori Germania ad nos descendit, modestiores tamen eam non recipiunt.* Quæ ultima verba *Crantzii* valde verosimilia mihi fiunt, quando ea lego, quæ de origine Nobilitatis in *Chronico suo Helvetico* notavit *Job. Stumpfhius* l. 4. c. 29. Quamvis enim circa medium superioris seculi historiam suam scripserit, morem tamen illum, quo soli Comites & Barones *Nobiles* dicti, ante trecentos annos in usu fuisse scribit. p. 291. Citius igitur, quam in inferiori Germania, ibi augeri tituli cæperunt. Nec tamen admittere possum, quod *Lambecius* *Rer. Hamburg.* l. 2. p. 194. in not. asserit, *Nobilis* titulum, *Regum duntaxat, & Ducum, & minimum Comitum* fuisse; quod enim Baronibus quoque, *den Freyen Herrn* / ut nos hodie ab aliquot seculis loquimur, datus fuerit, pluribus exemplis facillime ostendi potest, notatque rectè *Stumpfius*, Comites, cum gradu majores essent Baronibus, alium titulum, *Wolgeborne*; & Principes illis majores, celsiorem quoque titulum, *Hochgeborne & Durchleuchtige* assumpsisse, ut ita penes Barones titulus *Nobilis* manserit, cum illi, qui post Barones, *Ministeriales* scilicet & *Famuli*, non *Edele* / sed *Erbare* vocarentur. p. 290. b. Si quis hac de re adhuc dubitaret, posset ille convinci infinitarum antiquarum tabularum subscriptionibus, in quibus testes ita collocantur, ut primo loco Sacri Ordinis homines, deinde illi, qui ex primaria sunt nobilitate, Comites, Barones, cum titulo *Nobilis*, denique alii ex inferiore sub nomine *Militum* (id est, *Equitum Auratorum*) *Ministerialium*, *Famulorum*. Ita in litteris *Friderici*, *Episcopi Halberstadensis*, datis A. 1211. *Indict.* 14. citantur primo *Canonici*, deinde subjunguntur: *Laici vero nobiles, Comes Hojerus de Valkenstein, Wernerus de Anvorde &c. Ministeriales autem Gevehardus de Alvensleben, Dapifer noster. &c.* In quadam donatione *Burchardi Archiepiscopi Magde-*

Magdeburgensis citantur testes *Nobilis Vir Comes Henricus de Blankenburg, Milites, Johannes de Nendorp, Tilo Marscalcus noster. &c.* Diploma Magni Ducis Brunsvicensis, datum An. 1357, ita clauditur: *Testes hujus rei sunt Gevehardus & Burchardus de Werberge, nobiles: Lippoldus & Vreden, & Baldewinus de Dalem, milites: Henricus de Veltheim & Burchardus de Assenburg, famuli.* Et hæc quidem liquida sunt iis, qui vel mediocrem aliquem gustum habent Historiæ Germanicæ & Saxonicæ nostræ. Jam autem de *Heimburgiis* clarum est, eos stylo superiorum seculorum inter *Nobiles* collocatos, ideoque ex primaria nobilitate fuisse. Adduxi supra versus nonnullos *Tiderici Langen*, Canonici Goslariensis & Eimbeccensis, qui seculo XIII. Friderici II. temporibus vixit, in quibus *Heimburgii* diserte *Comites* inter & *Barones* Saxonicæ, quosque *nobilitas* ornet, collocantur. Possum vero id etiam ex *Tabulis* superstitionibus ejus ævi probare, in quibus testes advocantur, justo inter *Nobiles* loco. Ex litteris Volradi Episcopi Halberstadensis, An. 1257. Pontificat. 2. datis, pluscula huc facientia in rei fidem adducam: *Testes Hermannus Præpositus, Wiggerus Decanus, Burchardus Vicedominus, Volradus de Kerkberg, Rudolphus Portenarius, Everwinus Præpositus S. Bonifacii, Hermannus Scholasticus, Henricus de Regenstein, Henricus de Drondörp, Bartoldus de Clettenberg, Ludgerus Strutz, Anno de Heimborg, Ludolfus de Dalem, Hermannus Hude.* Laici vero, *Fridericus de Kerckberg, Volradus de Kranichfeld, frater noster, Wernerus de Scherembeke, Eberhardus de Suselitz, Nicolaus de Heimborg, nobiles. Ministeriales vero Henricus de Hordorp, Jacobus de Sivershusen, Cæsarus de Sarckstede &c.* In litteris Henrici & Baldewini de Wenden, datis An. 1306. invigilia Apostolorum Simonis & Judæ, citatur *Anno, vir nobilis, dictus de Heimborg, miles.* Et idem Anno in aliis

aliis litteris A. 1290. vocatur *Dominus de Heimborg*. Cum-  
que præterea toties *Heimburgii* cum aliis ex primaria no-  
bilitate per conjugia sese miscuerint, inde quoque, eos  
non ex infima fuisse, probabiliter colligere licet. Sed redeun-  
dum est in viam.

Seculo vero decimo quarto Illustris illa familia non tan-  
tum Heimburgo arce pulsa est, sed etiam vicinia nostra  
abiit, feudaque eorum partim ad alios translata, partim  
ea, quæ circa Schönningam in Hotisleben & Hoierstorp  
habuerant, Baronibus Warbergicis, cognatis, vendita ab  
iis sunt, uti superstites litteræ testantur. Quo minus ta-  
men omnia plenè narrare, & qua occasione id contigerit,  
possimus, defectus monumentorum facit, cogimurque  
hic quædam traditionibus credere. Id constat ex historia  
illius temporis, post Fridericum II. Cæsarem, privatam  
capite suo Germaniam, toto illo interregni, ad Rudol-  
phum usque I. spatio, miris turbis fuisse agitatum, nemi-  
nemque ab incurribus potentioris immunem, non vici-  
num à vicino tutum fuisse, sed omnia, citra leges, & supe-  
rioris Magistratus auctoritatem, per tumultus & bellicam  
vim decisa. Qui igitur, jure licet optimo & hæreditario,  
arces, castra, & terras possidebant, si non propriis viribus,  
aut vicinorum fæderibus, frequentissimis tum temporis,  
tuti essent, inopinato pellebantur ab aliis, & exuebantur  
omnibus bonis, ne colore quidem aliquo recti quæsito.  
Sic igitur *Annonem Dominum in Heimborg* avita quoque sede  
pulsus esse, illa ipsa fatali seculi calamitate, verosimile est,  
quamvis nescio quam monomachiam cum Comite ali-  
quo Reinsteinio, in qua Anno victor, occiso adversario, eva-  
ferit, antiqua traditio ingerat, orta hinc exilii occasione.  
Id certum est, Annonem confugisse ad Ducem Lynebur-  
gensis, Cellis sedem suam habentem, simulque ad *Domi-  
nos de Meinersheim*, ex quorum Nobili familia Avia ejus  
progna-

prognata erat, concessisse, ibique tandem, spe de antiqua sede repetenda præcisa, domicilium quæsiuiffe, ducta uxore. Erat illa *Henrici de Hofingen* vel *Oefingen*, militis, filia unica, & multorum prædiorum isto in Ducatu Lynenburgico hæres, cujus avus *Henricus ab Oefingen*, miles, Henrico Palatino, Saxoniae Duci, Henrici Leonis Filio, à consiliis fuit, adduciturque in litteris An. 1222. Soror tamen *Annonis ab Heimburg*, *Bia*, sive *Bina*, quam secundis nuptiis duxit Henricus Comes Reinsteinius, cum marito suo *Heimburgum* possedit. De *Bia* illa multa annotavit doctissimus *Budæus* in *vita Alberti II.* Episcopi Halberstadenfis & Ducis Brunsvicensis, quamvis nesciat, ex qua familia illa oriunda fuerit. Imprimis notat, eam, cum duos filios Henrico Comiti peperisset, & duos quoque filias *Lucharden* & *Odam*, A. 1289. Cœnobium Monialium S. Nicolai in Halberstad fundasse, & post mortem mariti cum filiabus suis id intrasse, inque eo vitæ suæ finem & sepulcrum tandem invenisse.

Verum, missa Comitissa *Bia*, & *Arcem Heimburgo*, quæ varium dein fatum habuit, ad *Annonem* in Ducatum Lynenburgicum revertendum est, qui Cellis plerumque vixit, mortuusque est A. 1283. Turbat autem me hîc non parum, quod *Henricus Ecstormius Chronic. Walkenred. p. 120.* meminit litterarum, in quibus *Anno ab Heimborg* pro se & filiis, *Ludolpho*, *Hansio* & *Annone*, fatetur, se mansum unum in *Brockschowen*, quem tenuerat in feudum à Comitibus *Falkensteiniis*, convertisse in religiosos *Walkenredenses* A. 1306. Quis enim ille *Anno* sit, qui filios istis nominibus habuerit, An. 1306. fateor me nescire. *Anno* enim, de quo modo egi, quique *Arcem Heimburgum* deserere coactus est, jam mortuus erat illo tempore. Et habuit quidem ille plures filios, sed aliis nominibus. Fit eorum passim mentio in Tabulis antiquis, quarum unam integram

gram producam, ceu eam ex chartophylacio Monasterii  
Marienthalensis Avus meus Henricus Meibomius eruit,  
cum inde familiæ *Heimburgicæ* non parum luminis afful-  
geat, & quomodo illi, qui tum vixerunt, inter se cognati,  
pateat. *Henricus, Herwicus, Conradus, Anno*, filii Domi-  
ni *Annonis de Heimborg* universis præsentibus litteras inspectu-  
ris in perpetuum. Commendari solent litteris contractus legi-  
timè celebrati, quatenus, si defecerit hominum memoria, fidelis  
scriptura testimonium perhibeat veritati. Notum igitur sit  
tam præsentibus, quam futuris, quod nos possidentes cum *An-  
none*, filio Dn. *Henrici*, Patruï nostri, proprietatem trium  
mansorum, & quatuor arearum in magna *Hamersleve*, &  
proprietatem trium mansorum & trium arearum in *Weger-  
leve* de communi consensu vendidimus (Monasterio Marien-  
thalensi sub Abbate ejus *Eberhardo*) pro novem talentis  
*Brunsvicensium Denariorum* liberam ab omni advocatia &  
onere servitiorum, liberè & cum omni jure, sicut eam Paren-  
tes nostri possederunt, & nos possedimus perpetuo possidendam.  
Quorum mansorum Dn. *Gerhardus de Berwinckel* quatuor,  
& *Florinus de Watekessen* & fratres sui cum areis eorundem  
habuerunt titulo phoëdali. Approbamus enim sic & ratam  
habemus venditionem Patris nostri in prædictis duobus man-  
sis *Florini* & fratrum ejus, quam fecit cum Monachis dicti  
monasterii, à quibus etiam sustulit quatuor talenta Denario-  
rum *Brunsvicensium* pro eisdem, quod fatemur litteras per  
præsentibus. Testes hujus facti sunt *Wernerus de Schulenburg*,  
*Theod. de Monte*, *Wernerus de Wedinge*, *Bertholdus de  
Rede*, *Milites. Theodorus de Eschede*, *Advocatus in Twife-  
linge*, *Ludolphus de Werle*, capellanus ibidem, *Henricus de  
Esbeke*, *Heideco de Jerxem*, *Wedechindus de Dobbenem*,  
*Walterus de Nette* & plures alii fide digni. Ut autem hoc  
factum in suo vigore permaneat, nunc & semper, nostro & Dn.  
*Johannis, Militis de Eschede*, sigillis ipsam fecimus communiri.  
Datum



*Datum Zellis in octava Epiphaniae. A. M c c x c i i.* Sigillo  
autem Johannis de Eschede hæ litteræ fuerunt communi-  
tæ, quia ille horum quatuor fratrum tutor, datus ipsis ab  
Ottone, Comite de Wolpa, à quo pleraque bona Oefingia-  
na, de quibus supra dixi, feudali nexu tenebant. Ex his vero  
fratribus *Henricus, Hartwicus & Conradus* deinde vix semel  
memorantur amplius, sive juvenes mortui, sive in illa tem-  
porum caligine ignota veluti sub nube sepulti. *Anno-*  
*nis* mentionem sæpius fieri invenio, qui testis nominatur in  
tabulis Alberti Ducis Brunsvic. datis Wolfenbüttle. A. D.  
1309. feria V. post Nativit. B. Mariæ Virginis & bona sua  
circa Schöningam, hæreditate ad se à cognatis devoluta,  
Hotislevæ, Wobecæ & alibi, quæ in feudo tenebat ab Al-  
berto Duce Brunsvic. An. 1310. vendidit. Alibi vero in  
Ducatu Calenbergico ante Diesterum alia sibi bona compa-  
ravit. Uxorem habuit *Mathildam* ex familia de *Honlage*,  
quæ inter equestres hujus Ducatus non postrema, superioris  
seculi initio demum desiit, exposita pluribus ab *Avo meo in*  
*Chronic. Riddageshus. p. 95.* cum qua adhuc A. 1321. vixit.  
Albertus Dux Brunsvic. nominat eum in litteris An. 1318.  
*Strenuum militem, & fidelem suum,* fitque ejus mentio adhuc  
in litteris An. 1333. Ex hoc autem *Annonis* cum *Mathilda*  
*Honlagia* conjugio nati sunt *Martinus & Anno.* *Martini*  
mentio fit in litteris An. 1347. *Annonis* vero, Militis, in aliis  
An. 1346. & 1352. Mortuus est An. 1355. aut paullo ante,  
nam illo anno vocatur *piæ memoriæ.* Uxorem habuit ex  
nobili familia *de Campen*, cumque illa quatuor filios, *Jo-*  
*bannem, Heinonem, Annonem, Hartwicum, & Martinum,*  
quorum omnium mentio fit in litteris An. 1362. 1368. 1372.  
Vixerunt Adensbecci in Ducatu Lynæburgico, sed inde sede  
translata, bonis prioribus divenditis, alia ante Diesterum  
sibi comparaverunt. *Johannes* Canonicus fuit Mindensis,  
& Archidiaconus Remensis, ejusque meminerunt litteræ  
E A. 1381.

A. 1381. *Heinonis* quoque, *Hartwici* & *Martini* mentio fit in litteris A. 1381. *Annoni* cum Senatu populoque Magdeburgensi graves fuerunt inimicitiae, ideoque, cum in Nundinis solemnibus Urbem intrasset, conscio Archiepiscopo, excitato tamen à plebe tumulto, inspectante licet & nolente Archiepiscopo, custodiae à Senatu traditus est, nec ex eo tempore ulla ipsius mentio fit. *Martinus* vero ex his fratribus propagavit familiam. Et primo quidem ex Coniuge, nescio qua, duos filios habuit, *Volcmarum*, Canonicum Mindensem, & *Annonem*, cuius mentio fit, A. 1398. & 1404. Superstes autem his filiis suis omnibus fuit *Martinus*, ideoque jam septuagenarius licet, ne improlis decederet, uxorem duxit *Gesam*, de gente *Stederiorum*, ex eaque unum filium suscepit, brevique, post illum in lucem editum, mortuus est. Filius ille, & haeres unicus, quod mortuo patre sex septimanarum infans esset, nomen inde nactus est, & *Martinus*, cognomento *Puer*, dictus, in ipsa senectute ita appellatus fuit. Pervenit autem vivendo usque ad A. 1482, ætatis suæ 74. & ex uxore sua *Ilsa Ruschenpolia* quatuor filias & quatuor filios suscepit, ex quibus *Martino*, *Henrico* & *Aschwino* Henricus Senior & Ericus, Duces Brunsvicenses, fratres, Decimam in Lune, Aream in Wunstorp, & fundos in Benniessen contulerunt.

In Hoc autem *Martino* desino, Excellentissime Domine. Quæ enim deinde in Gente Vestra acta sunt, quamque multis toga sagoque claris Viris floruerit, non necesse est, ut ex antiquis litteris tabulisque & semesis Chronicis eruatur, cum omnia, partim accuratè annotata in scriniis Vestris serventur, partim viventium adhuc memoria & publica fama constant. *Martinus* ille *Henricum*, hic *Heinonem*, ille *Martinum* iterum, hic *Justum Heinonem*, Tuum, Perillustri Domine Præses, & Senioris fratris Tui *Martini* Patrem produxit. Nunquam vero non deinde Illustris familia

milia Vestra, aut vividæ indolis & fortissimos milites, aut prudentiæ & sapientiæ capacissimos animos produxit, qui Principibus & terrarum Dominis ob virtutem, fidem, & industriam grati, magno apud ipsos in pretio essent. Equidem *Heimburgica* Familia bello & armis primam gloriam, & nobilitatis suæ originem, debet, non minus ac aliæ omnes illustres nobilesq; veteres familiæ, istis scilicet seculis, quo litterarum secreta nobiles ignobilesque pariter ignorabant, omnium bonarum artium, præter militares, incuriosi: postquam tamen Dei benignitas sequentibus seculis alium habitum, alios mores, induxit, nec consilio minus, quam armis res geri cæperunt, Nobiles quoque familiæ, litterarum & sapientiæ optima studia, necessariumque ingenii cultum amare & inter suos promovere cæperunt, *Heimburgicæq;* tum gentis juvenes virique in hoc multis aliis præluxerunt & exempla imitanda reliquerunt. Quorum nobis aliquot, non armorum tantum gloria claros, sed eruditione quoque insignes, & variarum linguarum peritissimos, disertissimo calamo exposuit, insigne quondam hujus Academiae ornamentum, *Johannes Caselius*, in ea oratione funebri, quam *Wilbelmo ab Heimburg*, Patruo Vestro, in hoc Lyceo studiis, immortali cum laude nominis sui, operam præclarè danti, sed maximo cum luctu omnium denato, & seculi hujus anno primo hîc sepulto, scripsit. Scilicet Bella, & Aulæ veræ palestræ sunt, in quibus ingenium animorum, explorari vires & constantia possunt: nec dicam nunc, quantum in bellis quoque à studiis optimis, & Mathematicis imprimis Artibus, subsidii haberi possit, cum & veteri ævo bellicosissimæ nationes, & hodie Gallica, illius rei præstantia documenta exhibeant: ad Aulam tamen & majora Principum ministeria neminem esse aptum, nisi qui mature optimis studiis excultum animum, linguarumque & variarum rerum scientia decoratum sapientiæ

deinde civilis præceptis imbuerit, notissimum esse arbitror. His igitur nominibus, semper aut in bello primi, aut in Aulis honoratiori loco esse cupientes, litteras, doctrinam & recta studia coluerunt *Heimburgii*, maximaque inde adjumenta suis rebus gerendis habuerunt, magno ipsi in pretio apud eruditos, imò pretium eruditis. Multi etiam eorum amplissimis Sacerdotiis in Cathedralibus summis Ecclesiis macti, mundi quidem à negotiis aliquantum, non à patriæ tamen amore & commodis, ipsi à consiliis magnorum Episcoporum, sese separarunt, Ecclesiæ, pauperumque patroni liberales, studiorumque optimorum hortatores, adjutores, promotoresque, id quod supra in *Aschwino* & *Theodorico* ostendi, quos iterum vel favoris, quem Avo meo exhibuerunt, causa nomino, non instituto tantum vitæ, dignitate, & virtute pares, sed litterarum quoque & studiorum amore similes sibi. Neque vero illud in Gente Vestra *Heimburgicâ*, laude utique dignum, prætereundum est, quod sequioris quoque sexus curam habuerunt, & non nisi nobilissimis, illustribus & illustrissimis familiis per matrimonia sese junxerunt, & uti filias suas non nisi probatissimis à virtute elocarunt, ita ad sua connubia non nisi generosum sanguinem admiserunt, ut ex supra allatis patescit.

Possent hæc omnia pluribus explicare, & mererentur juvenibus gentis Vestræ ad exemplum inculcari, si ad alium, quàm ad Te, Excellentissime Præses, Epistola hæc directâ esset: coram Te vero parcius id agere, imo tacere decentius est, cum omnibus, qui à me producti sunt, ut ut splendidissimis, virtute & meritis Tuis caliginem induxeris. Multum à Majoribus Tuis accepisti luminis, nec parum est, natum esse genere, quod ante sex integra secula, raro in his regionibus exemplo, in primaria nobilitate fuit, quodque in corruptum decus suum inter maximas temporum vicissitudines servavit, & ad posteros transmisit.

Longè


Longè tamen majus est, omnium rectè sentientium judicio, quod operum magnitudine & rerum maximarum usu omnibus majoribus tuis aut par aut major, novam lucem toti familiæ fænerasti, eamque virtutum exemplis semper fætam, novis, iisque eminentissimis, quotidie condecoras. De Te igitur potius sermo mihi instituendus foret, Tuarumque illustrium actionum merita viventibus in admirationem, posteris in exemplum essent exponenda: Et facerem, nisi mores tuos nossem. liberos, nudos, & rectos, & vix nostri seculi, animumque illum, ad scititia simulationum adulationumque respicientem, & in recti conscientia bonorumque tacito applausu actionum suarum pretium stantem. Quicumque tamen per hos viginti & amplius annos in his & vicinis terris vixerunt, illi mecum norunt quam difficilia tempora fuerint, quanti momenti negotia in Seren<sup>mæ</sup> Domus Ducum Brunsvic. & Lynæb. curiis agitata, inter continua penè Regum Principumque bella, rebus nostris adnexa vel implicata, inter armorum lubrica, fæderum incerta, hostium, amicorum, sociorumque vicissitudines, ipsa etiam in pace pericula. Iidem vero ignorare etiam non possunt, quanta, in illis angustiis, alacritatis, dexteritatis, prudentiæ, & fidei experimenta dederis, quotiesque Tuo ore ad Reges Principesque, non Domus tantum Serenissimæ utilitas, sed totius Saxonie libertas locuta fuerit. Cum in mari omnia tranquilla sunt, & venti posuerunt, quilibet etiam nauclerus regere navem, & nullo negotio deducere in portum potest: at, cum omnia sursum deorsumque vertuntur, nec minus à fluctibus infra, quam à cælo ventisque desuper periculum est, tum demum expertus Palinurus, multum terris jactatus & alto, requiritur optaturque. Par Reipublicæ cujuslibet fatum est. Quando in remotis vicinisque locis turbatur, & jam grandinosa nubes calamitatem certam

in ductura Reipubl. adscendere supra verticem nostrum videtur, quando hostes timentur, focii suspecti sunt, insidiæ metuuntur undecunque, tum demum singulares illæ dotes & virtutes, quales tuæ sunt, Excellentissime Domine, requiruntur, Ingenium scilicet promptum & in numero semper, iudicium acre, prudentia usu subacta, industria incomparabilis. Si his sese jungant, uti in Te se jungunt, candor, & fides integra, & devotus patriæ animus, & incorrupta mens, quid optare magis in primario Ministro Princeps, quid desiderare patria possit, non intelligo. Gratulor Serenissimis Principibus nostris, gratulor Patriæ toti, quod in hæc tempora inciderit virtus Tua, quando illa maximo usui fuit, & esse potest: DEVMque Veneror, ut Te diutissime servet incolumem, & illa in formandis consiliis pro patriæ salute non die, non nocte, intermissa contentio, nihil roboris corpori animoque subducat, sed novum semper vigorem addat. Idem benignus DEVS faxit, ut, dum Tu præclarissimis virtutum exemplis familiam fecundas, alii feliciter illam propagent, ut semper in ea reperiantur, qui virtute non minus, quam genere emineant, & ita hæreditaria semper quoque sit virtutis & eruditionis in una domo laus. Quod quidem suo loco curabit frater *Dn. Martinus ab Heimborg*, virtute, & animi altitudine, & singulari in patriam, cuius curæ & consiliis admotus, pietate, nulli secundus, dum in *Golterano* suo, patria sede, feliciter natos filios in spem Reipublicæ, gloriamque generis, ad virtutem, animique decentem per recta studia culturam educat, ex quibus cum duos ex familiari aliquot annorum convictu *Justum Heinonem & Adolphum Ludovicum* noverim, illorumque alacritatem, & promptitudinem ingenii, & amorem erga studia deprehenderim, de reliquis paria mihi promittere audeo. Sed finio, Perillustris Domine, & , ut hanc Epistolam, quæ fortassis tanta jucunditate ab aliis quoque legetur, quanto labore & cura ex laceris, semesisque, & non temere obviis monumentis congesta est, Tu imprimis, Tuaque illustris familia benevole accipere, & me meaque studia commendata semper habere velitis, obnixè rogo. Dabam Helmestadii. in Acad. Julia. Kalend. Januarii. A. CIO 156 LXXXIII. quem felicissimum apprecor.

Pars Familiae HEIMBURGIORUM, quorum in hac  
Epistola mentio fit.

Anno  
tempore Henrici IV.

Anno  
sub Henrico V.



OK T m 259

Anno 1714  
 Anno 1715  
 Anno 1716  
 Anno 1717  
 Anno 1718  
 Anno 1719  
 Anno 1720  
 Anno 1721  
 Anno 1722  
 Anno 1723  
 Anno 1724  
 Anno 1725  
 Anno 1726  
 Anno 1727  
 Anno 1728  
 Anno 1729  
 Anno 1730  
 Anno 1731  
 Anno 1732  
 Anno 1733  
 Anno 1734  
 Anno 1735  
 Anno 1736  
 Anno 1737  
 Anno 1738  
 Anno 1739  
 Anno 1740  
 Anno 1741  
 Anno 1742  
 Anno 1743  
 Anno 1744  
 Anno 1745  
 Anno 1746  
 Anno 1747  
 Anno 1748  
 Anno 1749  
 Anno 1750  
 Anno 1751  
 Anno 1752  
 Anno 1753  
 Anno 1754  
 Anno 1755  
 Anno 1756  
 Anno 1757  
 Anno 1758  
 Anno 1759  
 Anno 1760  
 Anno 1761  
 Anno 1762  
 Anno 1763  
 Anno 1764  
 Anno 1765  
 Anno 1766  
 Anno 1767  
 Anno 1768  
 Anno 1769  
 Anno 1770  
 Anno 1771  
 Anno 1772  
 Anno 1773  
 Anno 1774  
 Anno 1775  
 Anno 1776  
 Anno 1777  
 Anno 1778  
 Anno 1779  
 Anno 1780  
 Anno 1781  
 Anno 1782  
 Anno 1783  
 Anno 1784  
 Anno 1785  
 Anno 1786  
 Anno 1787  
 Anno 1788  
 Anno 1789  
 Anno 1790  
 Anno 1791  
 Anno 1792  
 Anno 1793  
 Anno 1794  
 Anno 1795  
 Anno 1796  
 Anno 1797  
 Anno 1798  
 Anno 1799  
 Anno 1800


1714  
 1715  
 1716  
 1717  
 1718  
 1719  
 1720  
 1721  
 1722  
 1723  
 1724  
 1725  
 1726  
 1727  
 1728  
 1729  
 1730  
 1731  
 1732  
 1733  
 1734  
 1735  
 1736  
 1737  
 1738  
 1739  
 1740  
 1741  
 1742  
 1743  
 1744  
 1745  
 1746  
 1747  
 1748  
 1749  
 1750  
 1751  
 1752  
 1753  
 1754  
 1755  
 1756  
 1757  
 1758  
 1759  
 1760  
 1761  
 1762  
 1763  
 1764  
 1765  
 1766  
 1767  
 1768  
 1769  
 1770  
 1771  
 1772  
 1773  
 1774  
 1775  
 1776  
 1777  
 1778  
 1779  
 1780  
 1781  
 1782  
 1783  
 1784  
 1785  
 1786  
 1787  
 1788  
 1789  
 1790  
 1791  
 1792  
 1793  
 1794  
 1795  
 1796  
 1797  
 1798  
 1799  
 1800

nc





2



ORIGINAL

DM 11

22

22

